



Mathæus Iudex honestis parentibus natus, et in omni genere literarum à pueris optimè educatus est. Cum autem prima rudimenta in patria didicisset, sese ad varias Academias contulit, atq; præsertim in Saxonia artium & linguarum studia feliciter percepit. Postea quoq; animum ad sacrarum literarum lectionem cōuertit, & earum talem sibi usum comparauit, ut inter Theologos magnum sibi nomen compararit. Vnde etiam in varijs locis Vuitēbergæ, Magdeburgi, Ihenæ, & Vismariæ docuit atq; cum Mathia Illyrico & Vuigando uaria passim fortuna usus fuit. Inter alia uerò studia Historiarum quoq; cognitionem adeptus,

in ijs plurimum sese exercuit, atq; cum Illyrico & Vuigando præclarum illud opus Ecclesiasticum, quod in Centurias diuisum est, conscribere cæpit, & ad Centuriam octauam usq; continuauit. pari ratione quoq; alia quædam Theologica scripta edidit, & sua eruditione cunctis innotuit. Hoc modo cum pergeret, anno 1565 immatura morte obiit, & magnum sui desiderium multis reliquit. Anon.